

DISTINCTIO VII

Apta, et distincta divisio Secundae particulae principalis, tractatus de divina generatione ac praesentis distinctionis generalis subdivisio, in qua quidem de potentia generandi sermo inchoatur.

HIC SOLET QUAERI etc. Postquam magister determinavit de divina generatione quantum ad modum generandi, in parte ista determinat de ea, quantum ad potentiam generandi. Et dividitur in duas partes, quia primo de potentia generandi magister movet quaedam dubia. Secundo quia huiusmodi potentia est ipsa divina natura, ideo consequenter magister tractat de quibusdam conditionibus et proprietatibus divinae naturae, ibi, nunc de veritate sive proprietate. Prima in duas, secundum quod de potentia generandi movet duas quaestiones. Nam primo inquit, an potentia generandi conveniat Patri? Secundo, utrum talis potentia reperiatur in Filio? Secunda ibi, item quaeritur a quibusdam. Prima in tres, quia primo movet illam quaestionem. Secundo ponit suam determinationem. Et tertio ex dictis Augustini inducit quandam cavillationem. Secunda ibi, cui versutiae; tertia ibi, 'Sed vehementer' etc. Et haec dividitur in tres partes; quia primo ponit quoddam dictum Augustini quod praedictis videtur esse contrarium. Secundo ostendit quomodo quidam negant illud dictum Augustini. Et tertio declarat qualiter sit intelligendum. Secunda ibi, hoc autem non videtur, tertia ibi. Potest ergo sic intelligi. Sequitur illa pars, item quaeritur etc. Et dividitur in duas: quia primo magister movet quaestionem et respondet ad eam. Secundo suam responsionem explanat, ibi. Ita etiam cum dicitur etc. Haec est sententia magistri in generali. Quia in ista septima distinctione tractatur de potentia generandi, igitur quaero istam quaestionem.

Quaestio I

An potentia generandi in divinis notionaliter accipiat?

Et si potentia generandi in divinis de suo principali significato rem ferme absolutam significet, eam tamen de suo consignificato respectum implicare, sive includere non inconvenit: quo fit, ut huiusmodi potentia absque huiusmodi respectu in actum non progrediatur; unde potentia generandi si alii generandi accipiat, ut gerundivum verbi activi in solo Patre, si verbi passivi, in solo Filio; si impersonalis, in omnibus personis divinis reperitur.

UTRUM POTENTIA generandi in divinis dicatur notionaliter sive relative? Et videtur, quod sic; quia principium distinguitur a principiato, cum nihil possit seipsum producere vel principiari. Cum igitur distinctio in divinis solum fiat penes notionalia, sive relativa, oportet, quod potentia generandi, quae est idem, quod principium generandi, sit ad aliquid, sive quid notionale. IN CONTRARIUM est magister in littera, qui potentiam generandi dicit esse divinam essentiam, ergo etc. Hic sunt quattuor videnda. Primo de eo, quod quaeritur. Secundo, utrum potentia generandi vere et realiter sit in Filio? Tertio, dato, quod sit in Filio, utrum ex hoc Filius possit exire in actum generationis? Et quarto, utrum sit eadem potentia, qua Pater gignit, et Filius gignitur?

QUANTUM ad primum, utrum potentia generandi in divinis dicatur notionaliter? Sic procedam. Primo ostendam, quod potentia generandi in divinis non potest esse relatio. Secundo, quod potentia generandi, quo ad suum principale significatum dicit simpliciter rem absolutam. Tertio, quod de suo consignificato, sive connotato necessario implicat, sive includit respectum. Et quarto ducam aliquorum doctorum dicta in contrarium et respondebo ad ea. Dico igitur primo, quod potentia generandi in divinis non potest esse relatio; quia illud, quod nec potest

esse terminus, nec principium actionis, non potest esse potentia generandi; sed relatio est huiusmodi, ut patet 5. Physicorum ergo etc. Maior patet, quia potentia generandi necessario est principium actionis, vel immediatum, vel saltem principale, quorum neutrum relationi poterit convenire. 2. Praeterea, si paternitas esse principium, sive potentia generandi, aut generatio talis esset univoca, aut aequivoca; si univoca, tunc Pater necessario generaret Patrem; quia in generatione univoca gignens et genitum conveniunt in principio productivo; unde si Socrateitas esset principium generandi ipsi Socrati, nunquam Socrates posset generare, nisi Socratem, maxime si sua generatio deberet esse univoca. Sicut enim Socrates non potest generare, nisi hominem, dato quod humanitas sit sibi principium generandi, sic etc. Si autem talis generatio esset aequivoca, tunc pater esset nobilior et dignior filio: quia in omni generatione aequivoca, in qua gignens est totale principium geniti, semper gignens est nobilior genito. 3. Praeterea, si paternitas esset in patre principium generandi, tunc formalis terminus generationis genito a generante communicatus excederet perfectione et dignitate ipsum principium generandi, consequens est falsum, ergo et antecedens; falsitas consequentis apparet: quia quicquid genito per generationem communicatur, hoc totum vel formaliter, vel virtualiter continetur in principio productivo, sive in potentia generativa, qua generans generat. Sed quod formaliter vel virtualiter in aliquo continetur, non est perfectius eo; consequentia apparet immediate: quia essentia divina per generationem filio communicatur, quae secundum suam formalem rationem est perfectionis infinitae, quod de paternitate dicere non possumus, cum secundum suam formalem rationem, vel sit perfectionis finitae, ut aliqui dicunt, vel ad minus non est perfectionis infinitae ut alii dicunt. 4. Praeterea id, quod non potest dare virtutem essendi simpliciter, non potest etiam dare virtutem agendi simpliciter; quia agere praesupponit esse; sed relatio non potest dare virtutem essendi simpliciter; cum non habeat esse, sed ad esse nec sit aliquid, sed ad aliquid. 5. Praeterea, si potentia generandi esset ipsa paternitas, tunc filius Dei non esset omnipotens, consequens est haereticum; quia in simbolo catholicae fidei dicitur, Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus; probo consequentiam: quia ille non est omnipotens, cui deficit aliqua potentia; sed paternitas non potest communicari filio, ergo filius non potest habere omnem potentiam. 6. Praeterea, si paternitas esset in patre potentia generandi, paternitas esset perfectior filiatione, consequens est falsum; quia tunc filius esset imperfectior patre; nam quandocunque duo supposita sic se habent, quod principium constitutivum unius est nobilior et perfectius principio constitutivo alterius, illud est nobilior et perfectius, quod [133] nobiliori modo constituitur; sed pater constituitur in esse suppositali paternitate et filius filiatione, ergo si paternitas esset perfectior filiatione, filius esset imperfectior patre; consequentiam probo dupliciter. Primo: quia quandocunque illud, quo generans generat, non est forma eiusdem speciei cum forma geniti, tunc necessario est perfectior ea; quia continet eam virtualiter; sed paternitas et filiatio non sunt formae eiusdem speciei, plus enim differt paternitas et filiatio, quam paternitas et paternitas; sed duae paternitates differunt numero, ergo paternitas et filiatio differunt specie. Secundo, quia quandocunque duae formae sic se habent quod una dat suo supposito, quod agat, et altera non dans, est nobilior non dante; sed secundum te, qui dicis paternitatem esse principium generandi; paternitas dat suo supposito agere ad intra secundum nobilissimam operationem; sed filiatio hoc filio dare non potest, ergo etc.

SECUNDO dico, quod potentia generandi in divinis, quantum ad suum principale significatum, dicit rem simpliciter absolutam scilicet divinam essentiam. Quia in omni generatione univoca, illud est principium generandi, in quo genitum assimilatur generanti; sed hoc in patre est divina essentia, ergo etc. Maior patet; quia cum in generatione univoca generans et genitum sint eiusdem naturae, oportet, quod terminus productionis assimiletur principio productivo. FORTE DICES, quod illa generatio non sit univoca. 2. Item dices, sicut aliqui dixerunt, quod in essentia non est in divinis assimilatio, sed identitas.

AD PRIMUM respondeo, quod sic dicendo tu tollis omnem aequalitatem inter gignens et genitum, seu inter patrem et filium; quia generatio aequivoca non requirit aequalitatem inter gignens et genitum, nec in perfectione nec in quacunque alia conditione ad dignitatem et nobilitatem spectante. Ad secundum dico, quod ut dicitur in Praedicamentis, secunda substantia non est hoc aliquid; sed quale quid, ideo quae conveniunt in substantia secunda dicuntur similia; quia proprium est qualitatis secundum eam simile vel dissimile dici. Sed essentia divina sic se habet, quod ipsa vere est hoc, et hoc aliquid et in hoc convenit cum primis substantiis et tamen habet quandam similitudinem cum secundis substantiis, eo quod sit reperibilis in pluribus; ideo ratione primae conditionis, qua convenit cum primis substantiis, supposita divina dicuntur secundum eam idem, ratione vero secundae conditionis, qua convenit cum secundis substantiis, possunt dici similia; et quia, ut reperitur in generante et genito, qui necessario differunt, ipsa habet modum secundae substantiae, ergo gignens et genitum secundum eam possunt dici similia.

2. Praeterea, in omni productione substantiali principium productivum est substantia; sed filii Dei generatio, cum non sit accidentalis oportet, quod sit productio substantialis. 3. Praeterea, in omni productione, ubi natura producentis communicatur producto, ibi natura in producente est ratio productionis; sed in filii Dei generatione natura producentis communicatur producto, alias filius non esset Deus; sed esset creatura producta in aliena substantia; maior patet per inductionem in singulis talibus productionibus. 4. Praeterea, illud, quod est patri perfecta ratio intelligendi, illud est perfectum principium verbum producendi; sed essentia est sibi perfecta ratio omnia intelligendi, ergo etc. Maior patet; quia verbum producitur cum obiectum perfecte intelligitur; minor etiam est nota: quia per nihil aliud quam per suam essentiam pater perfecte intelligit. 5. Praeterea, si in divinis esset distinctio naturae secundum numerum et unitas secundum speciem, ratio producendi attribueretur naturae et non relationi, sicut nunc apparet in creaturis; sed indistinctio, sive unitas naturae non tollit aliquam perfectionem a natura, ergo et nunc ratio producendi sibi debet attribui. 6. Praeterea, non est minoris dignitatis et perfectionis continentia productiva divinae personae, quam continentia creativa cuiusunque creaturae: sed secunda continentia convenit divino supposito ratione essentiae et non ratione relationis, ergo etc. prima sibi convenit ratione essentiae. 7. Praeterea, Augustinus dicit 15. De Trinitate¹ filium Dei esse natura genitum. 8. Item, Damascenus I libro² loquens de generatione divina ait, quod generatio est sine initio, et aeterna naturae opus existens. 9. Item Richardus 6. De Trinitate³ ait. Naturale est innascibili de se producentem habere. Et ait, Processio proles a parente in Deo est secundum principalem procedendi originem et secundum naturae operationem. Cum igitur generatio non possit convenire naturae, tanquam generanti, ut fuit superius declaratum distinctione 5 oportet, quod per huiusmodi auctoritates intelligatur sibi convenire, tanquam principio productivo, ergo etc.

TERTIO DICO, quod quamvis potentia generandi in divinis quantum ad suum principale significatum, dicat divinam essentiam; quantum tamen ad suum consignificatum connotat respectum, seu paternitatem, sine quo respectu nullatenus progreditur in actum generationis. Ad cuius evidentiam est advertendum, quod sicut in creaturis aliqua sunt entia, quae philosophus 7. Metaphysicae appellat accidentia copulata, quae illius conditionis esse videntur, quod quamvis secundum eorum principale significatum significant rem unius praedicamenti; connotant tamen rem alterius praedicamenti, a cuius exigentia et connotatione fortiuntur quosdam modos, a quibus si absolvuntur, etiam a sua entitate specifica transmutantur, verbi gratia, Pulchritudo, cum sit quidam habitus, est de prima specie qualitatis et per consequens secundum suum principale significatum est entitas absoluta; concernit tamen quandam modum ex connotatione respectus congruentiae, a quo si absolvitur, mutabitur in oppositam qualitatem,

¹Cap. 20 tom.3

²Cap. 8

³Cap. 1

dato etiam per possibile, vel impossibile, quod absolutum connotans illum respectum remaneat secundum totam suam entitatem. Dato enim, quod eadem numero albedo, quae est in dente pulchritudo, secundum totam suam absolutam entitatem per potentiam Dei transferatur in oculum, ipsa eadem numero erit in oculo turpitudine propter solam carentiam respectus congruentiae, cui in dente fuit coniuncta et a quo in oculo erit disiuncta. Et eodem modo scientia connotat respectum ad scibile, quamvis ipsa sit in prima specie qualitatis, qui quidem respectus si per quancunque potentiam auferretur a scientia, manente etiam toto, etiam absoluto quod dicit scientia, tale absolutum non esset scientia: quia anima habens illam qualitatem absolutam, nihil sciret, quia nullum respectum ad scibile haberet. Est etiam ulterius sciendum, quod tale accidens copulatum, quantum ad suum proprium significatum, non debet sumi in sensu copulativo, puta, quod dicat absolutum et respectum; quia tunc esset ens per accidens et per consequens nec esset, ens determinati generis, nec speciei; ut patet 4. Metaphysicae sed dicit absolutum sub respectu. Scientia enim, non dicit qualitatem et relationem; sed dicit qualitatem sub relatione, et ideo, non obstante illa connotatione, qua cernit respectum ad scibile; ipsa tamen simpliciter loquendo dicitur qualitas absoluta. Sic potentia generativa simpliciter et principaliter dicit divinam essentiam, quamvis connotet respectum ad genitum, puta paternam proprietatem, qua connotatione non obstante, simpliciter loquendo, potentia generandi, debet dici essentia divina, sive res absoluta, et non relatio, nec debet dici essentia et relatio; sed magis essentia sub relatione. Est etiam notandum quod licet quantum ad praesens propositum spectat, aliquo modo simile sit de illis accidentibus copulatis et potentia generandi in divinis; quia tamen nulla similitudo currit per omnes pedes, et singulariter ubi similitudo de creaturis transfertur ad divina, igitur sciendum, quod in hoc [134] est dissimile inter praedicta; quia huiusmodi accidentia concernunt tales respectus, et quantum ad suum esse, et quantum ad suum agere, si ipsis convenit agere, ita quod sint ratio alicuius actionis, Sublato enim respectu scientiae ad scibile, nec manet scientia quantum ad esse scientiae, nec quantum ad scire; quia ut superius dixi, dato quod absoluta illa qualitas sine respectu in aliquo remaneret, ille tamen per huiusmodi qualitatem nihil sciret; sed essentia divina inquantum dicitur potentia generandi concernit supradictum respectum, non quantum ad esse potentiae; sed quantum ad agere secundum eam: et ideo non repugnat, quando potentia generandi possit esse in aliquo, cui tamen repugnat generare propter carentiam huiusmodi respectus connotati.

SED CONTRARIUM PRIMAE conclusionis aliqui doctores tenentes arguunt sic. Quandocunque aliquis actus inest alicui supposito et alteri repugnant, oportet, quod talis actus insit secundum talem rationem, per quam unum suppositum differt ab alio. Unde philosophus I. Ethicorum volens probare quod beatitudo in homine non sit operatio sensitivae virtutis, arguit sic. Beatitudo inest homini, et non bruto, ergo inest homini secundum id, per quod differt a bruto; hoc autem non est sensus, sed intellectus; sed generare convenit patri, et non filio, ergo convenit sibi secundum principium relativum, per quod differt a filio. 2. Praeterea, ex imperfectione provenit, quod aliqua forma dat actum primum, et non dat actum secundum; sed paternitas dat supposito patris actum primum, scilicet esse personale, ergo etiam sibi dabit actum secundum, puta generare. Maior patet; quia valde esset imperfectus calor, qui sic daret esse calidum, quod tamen non posset calefacere. Minor patebit inferius, ubi probabitur et quod paternitas constituit personam patris. 3. Praeterea, sicut actus communis requirit principium commune, sic actus proprius principium proprium; sed generare est actus proprius paterni suppositi, ergo erit a paternitate, quae est propria forma patris. 4. Praeterea, sicut se habet pater ad creare inquantum Deus, sic se habet ad generare inquantum pater: quia sicut creare est proprium Dei et convenit soli Deo; sic generare in divinis convenit soli patri; sed pater creat deitate, ergo generat paternitate. 5. Praeterea, producentis et formae, qua producit, eadem est relatio ad productum, ut ait Aristoteles 5. Metaphysicae sed hoc possumus salvare in generatione divina, ponendo paternitatem esse formam, qua pater generat, et non ponendo

essentiam: quia essentia non refertur ad filium et ergo etc. 6. Praeterea, omnis actio debet habere conformitatem ad suum proprium principium; sed generare divinum est quid relativum, ergo suum proprium principium debet esse relatio. 7. Praeterea, actiones diversarum rationum requirunt distincta principia secundum rationem, sed generare et spirare sunt actiones ratione differentes, ergo eorum propria principia erunt paternitas et spiratio activa, et non essentia divina: quae est unius rationis ubicunque invenitur. 8. Praeterea, unumquodque agens agit eo, quo formaliter est; sed suppositum generans in divinis formaliter est paternitate. 9. Praeterea, si aliqua causa subesset, quare negaretur, paternitas esse principium generandi in divinis, hoc maxime esset pro tanto: quia videmus, quod in creaturis relatio non potest esse principium actionis; sed illa causa est insufficiens; quia sicut se habet agens absolutum ad principium absolutum, quo elicit actionem absolutam, per quam actionem absolutam ponit in esse productum absolutum; sic se debet habere produciens relativum ad principium producendi relativum, quo elicit actionem relativam, et producit suppositum relativum; sed in divinis generans, generatio et genitum, omnia sunt relative, ergo etc. principium generandi erit relativum. Et confirmatur, quia si illa causa negationis esset sufficiens, pari ratione deberes negare relationem in divinis esse constitutivam suppositi: quia nec hoc in creaturis poterimus invenire. 10. Praeterea, Beatus Augustinus in De fide ad Petrum ait, quod generare est opus paternae proprietatis.

SED CONTRA SECUNDUM conclusionem sunt quidam dicentes, quod essentia absolute sumpta non potest esse principium generandi. Et addunt, quod sicut essentia divina est principium huiusmodi actus, qui est sapere inquantum est sapientia, sive ut inducit rationem sapientiae, et est principium actus volendi, ut est ipsa voluntas et sic de aliis; sic est principium, sine potentia generandi, ut induit rationem paternitatis, sive ut est ipsa paternitas. Rationes illorum non inveni, posset tamen iste modus dicendi probari sic. 1. Tale debet esse principium productivum in omni productione reali, ut ratione sui non solum productum producenti assimiletur, sed etiam ab eo realiter distinguitur; nam oppositum distinctionis producentis a producto magis repugnant productioni, quam oppositum assimilationis, cum simpliciter sit impossibile idem a seipso produci; saepius autem produciens et productum dissimilia esse contingit, ut apparet in aliquibus monstruosis productionibus, in quibus parva, aut nulla apparet assimilatio, realis ramen distinctio; sed essentia, ut absoluta est causa assimilationis, essentia ut est paternitas est nota et causa distinctionis, ergo etc. 2. Praeterea, tanti ambitus debet esse actus generationis, quanti ambitus est suum proprium principium productivum; sed essentia absolute sumpta est maioris ambitus, quam generatio; quia est in filio et Spiritu Sancto, qui generare non possunt. 3. Praeterea, idem manens idem semper facit idem, ut dicitur 2. De generatione, sic unum manens unum, tantum producit unum. Si ergo essentia absolute sumpta esset principium producendi divinam personam, cum ipsa semper sit una, et eadem non posset in divinis produci nisi una persona.

CONTRA TERTIAM conclusionem sunt quidam, qui dicunt hanc copulativam, scilicet quod potentia generandi in divinis dicit essentiam, et relationem in divinis, cum enim, ut dicunt, per divinam generationem aliquid communicetur, quod tamen non producitur, puta essentia divina cum omnibus attributis et ceteris essentialibus aliquid vero producitur, puta proprietas filii, oportet principium generationis taliter assignari, quod aliquid ex parte principii correspondeat ei, quod genito per generationem communicatur, et aliquid ei, quod in ipso genito producitur, quod probant sic.

1 In generante et genito principium et terminus sibi invicem correspondet; sed in genito aliud est, quo productio terminatur, scilicet ipsa filiatio, et aliud quo communicatio terminatur, puta natura divina, ergo proportionabiliter in producente paternitas erit principium productionis,

et essentia principium communicationis. 2. Praeterea, emanationes divinae in talia principia debent reduci, quibus positis immediate apparet status divinarum emanationum; sed modo praedicto apparent statim duae emanationes et non plures; una scilicet, cuius principium erit paternitas, et alia, cuius principium erit spiratio activa; sed si sola essentia esset principium, quae ratione una existens non esset principium unius emanationis tantum, sed duarum; eadem ratione posset esse principium plurium emanationum, vel infinitarum. Et addunt isti, quod quia generatio formalius respicit productionem, quam communicationem, igitur relatio, quae habet rationem principii productivi, magis habet rationem potentiae generandi, quam ipsa essentia, quae habet rationem principii communicativi.

SED LICET illi duo modi, qui primis duabus conclusionibus contradicunt deficiant, ut apparuit superius rationibus introductis. Ille tamen tertius modus magis videtur esse defectuosus; quia quicquid defectuositatis apparet in aliis, hoc implicat ille cum additione proprii defectus. 1. Deficit enim primo; quia esse principium producendi in divinis dicit perfectionem, sed secundum istos relatio nullam dicit perfectionem, ergo relatio non poterit esse principium producendi in divinis. 2. Praeterea, propter quod unumquodque tale, et [135] ipsum magis; sed tu in illa eadem distinctione dicis, quod respectus habet a divina essentia, quod possit esse principium productionis, ergo non debebas rationem principii productivi excludere ab essentia; sed sibi principaliter debebas tribuere. 3. Praeterea, in productione non univoca principium productionis nobilius et perfectius est termino formali ipsius productionis, maxime si talis terminus est productus; cum ergo secundum te formalis terminus productionis paternae sit filiatio, et est terminus productus, et etiam secundum te talis productio non est univoca, ergo paternitas, quae secundum te est principium talis productionis, erit perfectior filiatione, quod contradicit aliis dictis tuis. 4. Praeterea, in nullo genere oppositionis unum oppositorum est per se, et immediate principium alterius; sed filiatio et paternitas sunt opposita, ergo etc.

AD PRIMUM igitur dictum contra primam conclusionem dicendum ad maiorem, quod si per rationem intelligis potentiam generandi, tunc non oportet, quod talis actus insit supposito generanti secundum illam rationem, per quam differt a producto; sed sufficit, quod illa ratio connotet aliquid in producente, per quod producens distinguitur a producto. Alias sic invenitur. AD PRIMUM dicendum, quod maior non est universaliter vera; quia si illa supposita se habent ut producens et productum, tunc non est necesse, quod talis actus insit supposito generanti secundum illam rationem, per quam differt a producto; sed sufficit, quod illa ratio connotet aliquid in producente, per quod producens distinguitur a producto. Ad secundum dicendum, quod vel per actum primum intelligis esse hypostaticum et incommunicabile, vel esse subsistens et naturale; si primo modo, tunc maior est falsa; quia filiatio non minus talem actum dat filio, quam paternitas patri, et tamen non dat filio actum secundum, de quo loqueris, cum tamen filiatio non sit minus perfecta, quam paternitas. Isto modo etiam in creaturis maior est falsa; quia si principium individuale esset principium productivum, tunc individuum produceret seipsum, Socrates enim per Socrateitatem non produceret nisi Socratem, et sic de aliis individuis. Si secundo modo, tunc minor est falsa; quia paternitas non dat patri esse subsistens et naturale; quia tale esse habet per suam deitatem. Ad tertium dicendum, quod non oportet actum proprium habere proprium principium, sed sufficit, quod habeat commune appropriatum per hoc, quod concernit in supposito producente aliquod proprium, sine quo nullo modo in actum progreditur. Ad quartum dicendum ad maiorem, quod non est simile; quia deitas est forma absoluta, et per consequens sibi non repugnat esse immediatum principium actionis, hoc autem repugnat paternitati. Ad quintum dicendum, quod forma, qua producens producit, non dicitur referri ad productum, ita quod ipsa sit de genere relationis; sed pro tanto hoc dicitur; quia ipsa est relationis fundamentum, qua producens refertur ad productum. Cum igitur essentia divina sit fundamentum paternitatis, qua pater refertur ad filium, ergo melius salvamus dictum

philosophi ponendo essentiam esse principium generationis, quam ponendo relationem. Ad sextum dicendum, quod omnis conformitas propriae actionis ad suum proprium principium praesupponit possibilitatem, ita quod non implicet repugnantiam naturalem; sed, ut dictum est, relationi repugnat, quod sit virtus activa; et cum dicitur, quod generare divinum est quid relativum, dico, quod ideo est ab absoluto principio, connotante tamen proprietatem relativam. Ad septimum dicendum, quod actiones diversarum rationum possunt esse ab uno communi principio diversimode tamen accepto secundum diversos modos fortitos et connotatos a diversis proprietatibus differentibus ratione, videlicet a paternitate et activa spiratione. Ad octavum dicendum, quod maior est vera loquendo de forma naturali et communicabili, et non de forma individuali et incommunicabili, et tunc minor est falsa, quia pater deitate est tanquam forma naturali et communicabili, paternitate vero est tanquam forma incommunicabili, et ad modum individui. Ad nonum dicendum quod, quia in divinis generans, et generatio, et genitum sunt relativa, ideo principium generationis, quamvis non sit relatio, connotat tamen relationem; nec est simile quod assumitur de absoluto; quia cum absolutum sit, vel possit esse activum, sibi non repugnat esse principium productivum, hoc autem repugnat relationi, cum non sit activa. Ad confirmationem dico, quod in hoc captivo intellectum meum in obsequium fidei; quia fides catholica ponit trinitatem personarum cum unitate essentiae, quod nullo modo salvare possumus, nisi ponendo divina supposita constitui proprietatibus relativis. Si enim sancti patres potuissent salvasse divinae essentiae unitatem cum tribus suppositis absolutis, nunquam ipsi potuissent aliquam relationem esse suppositi constitutiva. Sed posito, quod relatio non sit productiva, non minus bene salvamus omnia, qua salvare debemus quantum ad divinas productiones, sive sint ad intra, sive ad extra, et ideo non debemus eadem ratione negare relationem in divinis esse suppositi constitutivam, qua negamus eam productivam; quia primum est in obsequium fidei, secundum autem ad nihilum deserviret, et ideo etc. Ad decimum dicendum, quod per hoc vult Augustinus quod per potentiam generandi non sit progressus in actum generationis, nisi prout concernit in supposito generante paternam proprietatem, quod, si sic non intelligeretur illud dictum Augustini tunc ipse sibi ipsi saepius contradiceret, et specialiter 15. De trinitate ubi dicit filium Dei natura genitum. FORTE DICES, si sine relatione non potest esse generatio, ergo relatio est principium generationis. DICO, QUOD sicut in creaturis damus causam, propter quam sic, et etiam causam sine qua non, ista tamen verius negatur esse causa, quam affirmetur absolute loquendo; quia non debet dici causa, nisi cum hac conditione apposite sine qua non, et cum haec sit conditio distrahens, non bene infertur simpliciter, albedo enim non disgregat sine quantitate, et tamen absolute loquendo illa est falsa, quantitas disgregat. Sic respectu divinae generationis paternitas posset dici principium sine quo non; sed simpliciter loquendo, tunc debet negari. AD PRIMUM contra secundam conclusionem dicendum, quod agens per se intendit assimilare sibi productum, quod autem distinctum a se producit, hoc est per accidens, quo ad intentionem producentis, assimilatur enim sibi productum in quantum potest, cum proprium sit unicuique sibi simile generare, ut patet 2. De anima⁴, et unumquodque tunc est perfectum, cum poterit sibi simile generare, ut dicitur 4. Meteororum⁵. Et cum dicitur, quod saepius productum est dissimile producenti, dico, quod hoc non est ex intentione generantis, sed ex inobedientia materiae, vel ex defectu potentiae productivae. FORTE DICES, quod omnino est necessarium, non videtur esse intentum per accidens, sed distinctio producentis a producto omnino est necessaria, cum impossibile sit aliter se habere. DICO QUOD necessitas non impedit intentionem per accidens, agens enim naturale per se intendit generare, et totaliter per accidens intendit corrumpere, et tamen impossibile est, quod generet, nisi corrumpat; quia cum generatio unius sit corruptio alterius, necessario erunt tot corruptiones, quot generationes. Ad secundum dicendum, quod essentia divina, ut substat paternitati, sic principiat actum generationis, et ut sic, non est maioris ambitus, quam talis actus.

⁴Tex. c. 34

⁵Tex. c. 19

Ad tertium dicendum, quod licet eadem essentia sit principium generandi, et spirandi; tamen alio, et alio modo se habere videtur ab alia, et alia proprietate, quam connotat. AD PRIMUM contra tertiam conclusionem dicendum, quod minor est falsa; quia relatio nec potest esse terminus productionis, nec principium. Si enim terminus divinae productionis esset relatio, suppositum productum ex vi productionis terminatae ad huiusmodi terminum, non esset Deus; essentia igitur divina, quae in patre existens est principium illius divinae generationis, ipsa eadem in filio est terminus generationis.

[136] FORTE DICES, hoc esse non potest; quia terminus et principium debent esse distincta. DICO, quod verum est in his, in quibus produciens et productum naturaliter distinguuntur; in talibus namque terminus productionis est productus in genito, et non solum genito communicatus, et ideo realiter differt a principio productivo; sed in divinis produciens et productum non differunt naturaliter, et terminus productionis non est productus, sed communicatus. Idem igitur in divinis est terminus productionis et communicationis in genito, et idem est principium productionis et communicationis in generante. Dato enim quod ignis generans igni genito suam naturam eandem numero communicaret, tunc terminus generationis non esset productus, nec differret a suo principio productivo, nec esset in igne generante aliud principium productionis et aliud communicationis, sic cum fide teneamus patrem eandem suam naturam filio communicare etc.

Ad secundum dicendum, quod nos non minus salvamus statum divinarum emanationum, quam tu, cum dicamus huiusmodi principium generandi, quod est divina essentia, non progredi in actum, nisi ut connotat praedictas proprietates, et hoc de primo principali.

QUANTUM AD SECUNDUM articulum, quo quaeritur, utrum potentia generandi sit in filio? Et breviter advertendum, quod hoc gerundivum ‘generandi’ potest dupliciter accipi. Uno modo, ut est gerundivum verbi activi, et sic potentia generandi est in solo patre; quia solus pater est, qui active generat. Alio modo, ut est gerundivum verbi passivi, et sic est in filio; quia in solo filio est generatio passiva. Tertio modo potest accipi, ut est gerundivum verbi impersonalis, et sic congrue potest dici, quod potentia generandi non solum est in patre, sed etiam in filio et Spiritu Sancto. Nam impersonaliter accipiendo potentiam generandi, tunc idem est, quod potentia, per quam sit generatio, et haec est divina essentia, quae vere et realiter est in tribus personis. FORTE DICETUR, quod nullum ad aliquid, sive relatio potest esse commune tribus personis; sed secundum Magistrum hic in littera posse generare non est posse quid, sed est posse ad aliquid, ergo potentia generandi non est communis tribus. RESPONDEO dicendum, quod si Magister per posse generare intellexit potentiam generandi, tunc non est locutus de potentia generandi quantum ad suum principale significatum, sed solum quantum ad suum connotatum, quod est respectus, ut patet ex dictis in primo articulo. Dato etiam, quod posse generare sit ad aliquid, ex hoc tamen non sequitur quod potentia generandi sit ad aliquid, quia in alio potest esse potentia generandi, quod tamen non potest prorumpere in actum generationis, ut patebit statim in articulo sequenti.

QUANTUM AD TERTIUM principale, utrum filius possit exire in actum generationis? Posito, quod in eo sit potentia generandi; est dicendum, quod sicut natura in creaturis, quae est potentia generandi ipsarum creaturarum in actu generationis non prorumpit sine accidentibus et mediantibus, quibus actualiter determinatur ad actum generationis, verbi gratia, dato enim quod aliquis ignis haberet perfectam igneitatē, si tamen per divinam potentiam privaretur calore, nunquam ut sic posset alium ignem generare, quamvis in se haberet potentiam generandi ignem, puta igneitatē; sic divina natura, quae est perfecta potentia generandi in actum generationis, non prorumpit, nisi prout stat sub proprietate generationi congruente, puta sub paternitate. Cum

igitur in filio sit divina natura sub opposita proprietate, puta sub filiatione, igitur quamvis filius habeat in se perfectam potentiam generandi, nunquam tamen poterit generare, sicut nec ignis habens perfectam igneitatē subiectam frigiditati, poterit alium ignem generare.

QUANTUM AD QUARTUM principale, utrum sit eadem potentia, qua pater gignit, et filius gignitur? Dico, quod eadem est potentia, qua pater in divinis gignit, et filius gignitur, et hoc semper loquendo de potentia quantum ad suum principale significatum; quia ubi gignens et genitum in nulla re absoluta differunt, ibi necesse est eandem esse potentiam, qua gignens gignit et genitum gignitur; sed pater et filius re absoluta sunt idem omnino, ergo etc. Maior patet; quia potentia, ut ex superioribus est manifestum, in suo principali significato dicit absolutum. Minor patet ex catholica fide. AD ARGUMENTUM principale dicendum quod maior est vera de principio quod, non autem de principio quo, potentia autem generandi est principium quo, et non quod.